

4<sup>o</sup> Jan  
2132 (13)

DISSERTATIONEM PRIMAM  
IVRIS PRAESERTIM ROMANI  
DE  
**HEREDITATIBVS**  
QVAE AB INTESTATO  
DEFERVNTVR

---

IN  
REGIA GEORGIA AVGUSTA  
INCLVTI ORDINIS ICTORVM CONSENSV

PRAESIDE  
**VINCENTIO GAVDIO**  
D. ET NVPER APVD NEAPOLITANOS ANTECESSORE

DEFENDET  
**IOANNES LINDIVS**  
WEZLARIENSIS  
VTRIVSQVE IVRIS CVLTOR.

---

*AD DIEM OCTOBRIS MDCCCLV.*

---

GOTTINGAE  
TYPIS IO. CHR. LVDOLPH. SCHVLZII, ACAD. TYPOGR.



## CAPVT I.

*Primae huius Dissertationis, & tractationis  
reliquae, propositio.*

### I.

**D**e hereditatibus, quae ab intestato deferuntur, ex iure praelertim Romano scripturus, principio agam de natura harum hereditatum: dein, vtrum solae in bene constituta republica sufficient, an etiam utilis sit successio testamentaria, disputabo: tertio inquiram, quodnam fundamentum habuerint hereditates ab intestato apud Romanos. Atque his finibus prima haec Dissertatione concludetur.

### II.

Quod si tempus mihi ac subsidia suffpetent, pergam exponere, quaenam sint ea de re leges Romanorum; tum, quot quantisque incommodis laborent hae leges.

A

Deni-

Denique, ut incommodis hisce obuiant eatur, quid summi imperantes publice debeant, quid ciues in iudiciis priuati possint, dispiciemus.

## CAPVT II.

### *De natura hereditatum, quae ab intestato deferuntur.*

#### I.

Quod igitur felix faustumque sit, verba legis sic habent: *Hereditas nihil aliud est, quam successio in universum ius, quod defunctus habuerit tempore mortis.* L. 62. D. de reg. Iur., L. 24. D. de verb. signif.

#### II.

Cuius quidem legis ut interpretationem adgrediamur, *successionis* verbo intelligi primum potest actus succedendi; sicuti actio & persecutio actus ipse agendi persequendique est, cui exceptio opponi dicitur. L. 2. princ. D. de exceptionibus. Et apud Ciceronem *virtus laus omnis in actione consistit*; id est, in agendo. Lib. I. de offic. cap. 6.

Deinde verbalia in *io* denotant in Iure nostro ius agendi: itaque actio dicta est ius agendi persequendique quid in iudicio; *Institut.* Lib. IV. tit. 6. princ. 5. ut *successio ius succedendi* hic esse possit.

*Meropis* etiam his verbis res notatur interdum, quae patitur actionem verbi, & cum a Paullo thesaurus dicitur *depositio pecuniae* in L. 31. §. I. D. de adquir. rer.

*ver. dom.*, intelligimus pecuniam depositam, effectum nimirum ex causa: vnde *successio* verbo rem, cui successum est, nonnulli in hac definitione acceperunt.

E conuerso verbalibus iisdem res indicarur, non quae actionem patitur, sed quae agit. Quomodo verbum *accessionis* rem indicat, quae alii rei accessit; ut cum dicimus, fideiussoris obligationem accessionem esse principalis obligationis. *Institut.* Lib. III. tit. 21. §. 5. Et idcirco *succesio* in textu nostro erit res, quae in universum ius defuncti succedit.

Atque haec demum significatio probatur Hugonis Donello, Iurisconsulto celeberrimo, qui lare id more suo persequitur in *Commentariorum de Iure Civili Lib. VI. cap. 2.* Oswaldus autem Hilligerus totum id in capitomen satis cum iudicio rededit. Vid. *Donellus enucleatus*, tit. eod.

Verum Iacobus Spigelius in *Lexico* verbum *successionis* per additionis, sive agnitionis, exposuit, quam tam refellit Ioannes Goeddaeus in L. 24. D. de verb. signif. num. 6.

Sunt, qui verbum *successionis* interpretantur facultatem adquirendi; ut refert Goeddaeus, qui eos tamen refutauit, l. c. num. 8.

Andreas quoque Alciatus in eadem L. 24. D. de verb. sign. num. 5. & seqq. tertio ex relatis (§. II.) sensu verbum *successionis* accipit: intelligens scilicet ipsum patrimonium & bona omnia simul iuncta, quae id ius constituunt, quod *hereditas* dicitur, sive uniuersalem rerum & iurium collectionem. Verum argumenta eius acute sane diluit daudatus Hilligerus.



Et quoniam Goeddaeo tandem allata Donelli interpretatio displacebat, accurrit illico Oswaldus idem, auctori suo suppetias latus. Tuttissima ergo Hilligero nostro Donelli sui interpretatio videbatur.

Sed en tibi magni nominis & doctrinae Iureconsultum, Arnoldum Vinnium, qui de felici hac *successionis* vocula quaestione non sine multo puluere agitauit, se autem opposuit Hugoni Donello. Sententia eius breuiter huc redit, *hereditatem esse patrimonium cuiusque defuncti cum oneribus*: (1) cuius quidem opinionis rationes (neque enim minus eruditae sunt, nec minus speciosae, quam illae Hilligeri,) ut apud ipsum legantur, Lectores moneo.

#### I V.


Sed ohe, iam satis est, ohe *successio!* Stultum est enim difficiles habere nugas. Et tamen, si auscultares vellem, nondum haec vocula nos dimitteret: siquidem ad tutam eius in Iure Romano explanationem dispiciendum adhuc restaret, vtrum *hereditas* personam defuncti sustineat, an vero heredis, aut vtiusque: in quo non minores apud nostros contentiones existunt: atque aucta sunt, quae Vinnius idem nobis tradidit; (1) neque ullo modo contemnenda, quae Hilligerus (2).

#### V.

§. III. (1) Vinnius *Commentariorum in Institutionem*. Lib. II. tit. 2. num. 4. Vid. quoque tit. 9. §. 3. num. 3.

§. IV. (1) Vinnius ibid. tit. 14. §. 2. num. 1. Confer & Lib. III. tit. 18. princ.

(2) Hilligerus in *Donello enucleato* Lib. VI. cap. 2. Commencando insuper B. Heinocenii in *Elem. Iur. Civ. secunda Ord. Pandect. Part. I. Lib. I. tit. 8. §. 192.*



Iam vero, postquam omnes Iurisconsultorum opiniones de interpretando *successionis* verbo legisti, mecum, Lector, ni fallor. praeclaris istis Interpretibus, ut olim Iuris etiam consultis Demipho Terentianus, subridens acclamabis:

*Fecistis probe;*  
*Incertior sum multo, quam dudum!* (1)

Sed vereor, ne a me praeterea exigas, quænam harum opinionum mihi magis arrideat, quidque potius inter tota incerta seligere debeas. Sunt enim, qui sententia aliquam deligi iubent, atque istam præ ceteris Arnoldi Vinnii, deinceps dissentientes interpretes refutari, ac leges Romanas inter se compingi & conciliari. Quod ego libentissime facerem, si contra animi sensum faluo officio scribere possem. Profecto magni huius Iureconsulti sententia bella est in Iure Naturali & firma; sed non in Iure Romano: quemadmodum ne reliquæ omnes eius verbi (*successio*) interpretationes. Quid ergo consilii capiemus? Ego tibi, si placet, quamcumque istarum opinionum defendam, quamecumque oppugnabo; singulæ enim & praesidium habent in Iurisprudentia Romana & difficultates. At omisis ambagibus, & stulta inutilium mysteriorum sapientia, consultius erit cum in theorica, tum in practica; (2) si naevos quosdam in illa, ceteroquin egregia praeter-

ce-  
§. V. (1) Terentius in *Phormione* Act. II. scen. 4.

(2) Huius rei locupletissimum auctorem habeo virum in his quoque litteris summum, Christianum Thomassum, in *Delineatione* §. XLVIII.



ceteras, Legumlatione agnoscamus; & sententias praesertim non in re nostra solum, sed in aliis quoque multis, secum pugnantes: in quo verba Iacobi Cuiacii, viri ingentis, qualibet sunt animaduersione digna: quae ego vel multo etiam magis, tamquam pretiosissimas gemmas, hic intexenda censeo; quod illa nec satis nota sunt, & diligentissimus ac multa vir laude dignus, Burcardus Gotthelfsius Struuius, qui alias auctores omnes corrasit in quolibet eorum, quae multa tractauit, instituto; hoc tamen in loco (3) & plura, eaque multo grauiora viri illius in Iure Romano incomparabilis omisit; & vnum praecipue, quod erat grauissimum. Hoc saltem ergo supplebimus laudabili industriae Struvii nostri. Verba Cuiacii: *Huic adiungis etiam neque triuialem & compitalitium errorem.* Nihil esse contrarium in Corpore Iustiniane Iuris, Iustinianum hoc testari, aut Iustiniani vice Quaestorem eius: quod perinde verum est, atque id, quod testatur idem, Nihil in eo opere esse simile. Commendauit opus, quod quale esset, apparebat: quae res non obligabat fidem: nec poterat etiam intra triennium aut quadriennium, quo id perfecit, tale praestare, quale se praestare iactat. Ioannes, eris semper in Iure nouus, nisi hunc capiti tuo errorem excusseris, & huic te aetati praebueris: quae Dei beneficio detexit, similia esse multa in illo Corpore Iuris, pugnantia inter se multa, multa & imperfecta mulia, confusas saepe e pluribus auctoribus leges, vestigia Sectarum innumera, menda complura creata vel ex notis litterisue singulariis, quibus libri veterum referri erant, vel ex Tribonianis incuria

(3) In quo loco agitur de natu Romanæ Iurisprudentiae, qui locus apud eruditissimum Struvius est in *Historia Iuris* Cap. III.



curia potius, quam imperitia, vel ex glossematis veterum & recentium interpretum, vel ipsius Tribonianis consulta opera, cui licuit auctorum verba mutare, aut alienis ea intermixcere suo arbitratu. (4) Verum hic nostra nimis iam longe processit oratio; ad eorum, quae in proposita hereditatis definitione restant, interpretationem, & multo quidem breuius, reuertamnr.

## VI.

Quando igitur lex in uniuersum ius dicit, & commoda & incommoda defuncti omnia complectitur. L. 1. L. 3. princ. D. de bon. poss. Commoda, ut dominium, vt actiones, vt retentiones, quas ille habuit. L. heres in omne D. de adquir. hered. Incommodis vero defuncti continentur non tantum aes alienum, quo ipse tenebatur; sed ea etiam onera, quibus heredes suos obstrinxit, vel promittendo quid, vel ab illis legando. L. 2. C. ad. Trebell. Quamobrem iuris verbo hic intelliguntur & ius, quod defunctus habuit in alios, & quo ipse tenebatur aliis, aut fecit, quo alii teneantur.

## VII.

Supersunt in definitione verba tempore mortis: quae ab Donello, sagacissimo interprete, praetermissa esse, miror: praesertim quum ante alia omnia maximi momenti euadere possint. Ecce enim, in L. 8. princ. D. qui testam. fac. poss. Gaius ait: *Eius, qui apud hostes est, testa-*

(4) Cuiacius in L. 1. Notariorum (sub persona Antonii Mercatoris) gd libro. *Animaduersionum Iomannis Roberti* cap. 17.



testamentum, quod ibi fecit, non valet, quamvis redierit (1). Et in L. 19. Modestinus: *Si filiusfamilias, inquit, aut pupillus, aut seruus, tabulas testamenti fecerit, signauerit; secundum eas bonorum possessio dari non potest, licet filiusfamilias sui iuris, aut pupillus pubes, aut seruus liber factus decesserit: quia nullae sunt tabulae testamenti, quas is fecit, qui testamenti facultatem non habuerit* (2). Ex regula Catoniana: *Quod, si testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret; id legatum, quandocumque decesserit, non valet, L. 1. princ. D. de reg. Catoniana.* Quam regulam ad institutiones porrigi, cum ex dictis, tum ex consequentibus citationibus, satis luculenter patet in Iure nostro. L. pen. D. de reg. Iuris, L. vlt. D. de reg. Catonian., Vlpiān. Fragm. XXIV, 31, Paull. Recept. sentent. III, 6. Ergo non mortis solum tempus, sed testamenti etiam factio- nis, in hereditatibus spectatur.


Spectatur itidem & tempus aditionis. Nam neque computatur inter iura defuncti, quod tempore quidem mortis existebat, ante vero aditionem periiit; & ad gnatione sui heredis, aliquis de caussis, testamentum, quod mortis tempore validum erat, infirmatur.

Quae cum ita sint, iam tria tempora in hereditatibus requiruntur: vnuin testandi; alterum mortis; tertium creationis. Atque adeo plane errauit Cl. Donellus: quem tamen in hac lege errorem alii quoque interpretes errarunt, sicuti & lex ipsa non admodum faciliter concepta videtur.

### VIII.

§. VII. (1) Vid. *Nouell. Leon.* XL.

(2) Aliud de filiosfamilias milite dicendum, & de seruo publico.



### VIII.

Non sum quidem nescius, in quibusdam exemplis verba illa (*tempore mortis*) abesse: at in aliis exemplaribus adiungunt, tum vulgarioribus, tum, si ad tempora restituta Romanæ Iurisprudentiae respiciamus, antiquioribus; atque exemplar Hugonis nostri, ceu patet ex allata definitione, profecto habuit. Habuisse item exemplar Arnoldi Vinnii, sequens eius definitio indicio est: *Hereditas propriæ nihil aliud est, quam universum illud ius, quod defuncto vel in defunctum tempore mortis eius competit* (1). Praeterea breui circa haec tria tempora videbimus ambages & cauillationes omnino incommodas legum Romanarum, atque (vt aperte loquar,) *argutas illas Iurisconsultorum inptias*, de quibus tamen nec satis opportune loquitur, nec latius prudenter, Seneca in Lib. VI. de beneficiis cap. 5., ipse cum vniuersa Stoicorum familia pluribus maioribusque argumentis scatens & aequo ineptus.

### IX.

Interca vero, quae de hereditatibus in vniuersum dicta sunt, ad tractationem nostram breuiter adplice- mus. Agimus enim de illis tantummodo, quae ab intestato deferuntur. Ergo omnem de hereditate quae- stionem in duas diuisam esse partes, vel dupondii animaduerterunt; cum successio in defuncti iura fiat aut ex testamento, aut ab intestato ex lege. Atque hoc here-

§. VIII. (1) Vid. *Comment. in Institut.* Lib. II. tit. 9. §. 7. num. 3.



hereditatis genus ultimum illud est, quod heic tractandum suscipiemus,


X.

Locum autem obtinet hereditas ab intestato, qui tens testamentorum spes nulla amplius fuerit. Nulla autem erit, si quis aut omnino testamentum non fecit; aut id, quod fecerat, ruptum irritumque factum est; aut si ex eo nemo heres existiterit. Verba sunt Imperatoris in Lib. III. Instit. tit. 1. princ. Quae quidem materies quoniam tralatitia est, nolo me ostentare non necessaria eruditione, vel (ut more meo dicam) stulta sapientia.

X I.

Potius hic, quandoquidem fere omnia, quae ha-  
ctenus ex Iure Romano depromsimus, fluxa & incerta  
sunt, definitionem hereditatis ab intestato ex Iure Na-  
turali afferamus. Neque vero vnam aliquam iu proprio  
cerebro sine villa necessitate cudemus, postquam tot tan-  
tique viri de re hac nostra egerunt. Quin etiam ne ni-  
mio critico videamur indulgere supercilium, sed con-  
tra auctoribus, quoad eius fieri potest, per nos suus  
conflet honor; id omne, quidquid erit definitionis,  
mutuabimur a laudatissimo Vinnio nostro. Sit igitur  
hereditas ab intestato in Iure Naturali *patrimonium cum  
oneribus hominis sine testamento defuncti*. Quod ex di-  
ctis abunde patet.

## CAPVT



## CAPVT III.

*Vtrum hereditates ab intestato in bene  
constituta republica sufficient, an etiam  
testamentariae vtiles sint.*

I.

Nobiliorem nunc, eandemque utiliorem, quaesi-  
tionem ingrediamur: de qua multi & praestantissimi au-  
tores egerunt; sed eo tamen modo, ut nobis dispu-  
tandi materiam, non ocium, fecerint: Grotius, Pu-  
fendorfius, Leibnitius, Thomasius, Titius, Merillius,  
Fabrottus, Huberus, Leyserus, Treuerus, Bynkers-  
hoekius, Buddeus, Barbeyracius, Otto, Wolfius, alii.  
Nempe *vtrum hereditates ab intestato in bene constituta  
republica sufficient, an etiam testamentariae vtiles sint.*  
Nam

*Nisi vtile est, quod facimus, stulta est gloria. (I)*

II.

Vulgatissima hodie opinio est & late regnans, quae  
vsum reicit testamentorum. Omnia autem, quae con-  
tra testamenti-factionem adducuntur, ea quattuor par-  
tium oriuntur ex aliqua: aut enim testamenti-factionis  
admittendae nullam esse aiunt in bene constituta repu-  
blica rationem: aut reaple plurimas extitisse gentes,  
quibus

§. I. (i) Phaedrus Lib. III. fab. 17.

B 2

quibus testamenta ignota fuerint: aut, longius procedentes, innumera testamentorum incommoda congerunt atque exaggerant: aut si, vt generosi & liberales videantur, haec tria remiserint; tum vero ouantes addunt, testamentorum in Iure Naturali caussam esse nullam, firmitatem nullam, ideoque iam pridem esse conclamatum.

### III.

Negat Christianus Thomasius, (vt insigniorum sententias referamus,) concedendam esse testamenti-factionem, nisi ostendatur a dissentientibus peculiaris utilitas, quae legislatori hanc concessionem suadere possit. (1) Ipse autem tantum abest, vt aliquid eiusmodi videret, vt e contrario quasdam, licet minutulas, quae ab aliis afferebantur, eius suasionis caussas magna eruditionis vi eleuare conatus sit. (2) Hinc non a plurimis, sed paucioribus gentibus recepta fuisse testamenta docet, in ea que concertatione multus est. (3) Vitilius etiam esse reipublicae dixit, si testamenti-factio vetaretur ciuibus, ac heredibus ab intestato solum bona relinquerentur. (4) Immo, vt erat vir feruidissimi ingenii, ipsas dominii actiones inter viuos moderatus est, ac distinxit inter diuersa bonorum genera, vt in mobilibus vel adquisitis bonis alienatio concederetur, in immobilibus vero, aut hereditariis & paternis, eadem esset interdicta (5).

Nec

§. III. (1) Thomasius in Disputatione de origine successionis testamentariae §. XLV.

(2) Ibid. §. XLVI-LI.

(3) Ibid. §. XXXIII-XXXIX.

(4) Ibid. §. XXXIX.

(5) Ibid. §. XLI.

Nec afferere veritus est, res publicas, quae per distinctiones illas aut similes, potestatem alienandi limitant, esse (ceteris tamen paribus, & si a reliquis etiam prudentiae regulis regimen non aberret,) meliores & prudentiores prioribus (6). Nam per istam prohibitam rerum alienacionem magis conseruatur aequalitas ciuium, ac sic aliquo modo impeditur noxia reipublicae distinctione hominum in dives & pauperes, & hinc propullans, aut saltem valde excitata, cupiditas luxuriae, violentiae, fraudum, aemulationum, &c. (7) His notatis facile ostendi potest, non deesse etiam rationes, quibus probari possit, testamenti-factionem non solum parum utilitatis afferre recipubliae, sed & eidem esse valde noxiā; puta quod det occasionem fraudibus, quod saepe aegre fiat pauperibus, quod similitates ac odia alantur, & excitentur, &c. (8) Denique veros testamentorum introductorum fontes ambitionem inanem fuisse & auaritiam, dixit: vindictam addidit: (9) mala quaedam Lacedaemoniis & Romanis a testamenti-factione nata commemoravit: (10) ac in tota illa Disputatione, non esse firma in Iure Naturali testamenta, conatus est demonstrare.

### IV.

Plurimi quoque alii, postquam bellū signum Pufendorfius extulit, cum maiorum gentium, tum minorum iureconsulti, ac tantum non omnes, contra testamen-

(6) Ibid. §. XLII.

(7) Ibid. §. XLIII.

(8) Ibid. §. LIX.

(9) Ibid. §. LII-LIIX.

(10) Ibid. §. LX, LXI.



menti-factionem certatim vnde coniurarunt, in eoque conflictu velut summam ingenii & eloquentiae laudem positam esse putauerunt. At nemo tam vehementer id egit, quam inclitus Auctor *Praefationis ad Partem II. Corporis Juris Fridericiani*. Enimvero regale atque heroicum hoc opus tale est, quale in vniuersitate temporum memoria sol vsque adhuc numquam videbat, & cuius ingentem gloriam excipient omnes anni consequentes. Dignae quoque sunt prorsus tanto opere Praefationes, atque illa quidem, quam diximus, ad *Partem I.*, vt omnino legatur, auctor sum lectoribus meis, ac totam longae & eloquentissimae orationis illius (1) vim sentiant. Ego enim, vt eruditissimae illae ac πολιτικωταται considerationes eamdem mihi sententiam perluaderent, iamdudum & pluries exoptauit. At quid faciam? poterone vera loqui? Sane in republica litteraria ita faciundi, si modeste tamen, ius esse puto. Ceterum, dum, raptimi & pro temporis angustia, cogitata aliquot exponam mea; an operae pretium facturus sim, apud prudentiores iudicium esto. Porro igitur, Lectores, vestram fidem! Adeste aequo animo, & rem cognoscite.

## V.

Quoniam autem non cum vulgo sapientum res nunc agitur, sed cum primoribus ipsis; longe accuratius solito me loqui decet. Dicam ergo, sublimi ingenio, feruido atque exercitato, quale inter primos habent praestantissimi Nostri, facillimum semper fuisse, in

§. IV. (1) Vid. d. *Praefat.* a §. 14. ad 25.



in utramque partem de re qualibet disputare, causasque non satis bonas oratione reddere commendatissimas. Ad rem pater Romanae eloquentiae: *Nihil est tam incredibile, inquit, quod non dicendo fiat probabile: nihil tam horridum, tam inculum, quod non splendescat oratione, & tamquam excolatur* (1). Quod si vel ipsa Iuris Naturalis dogmata primaria adeo curiose & subtiliter, vt ab Auctoriis nostris testamenti - factio, difficultantur; iam vniuersa, & quanta quanta sunt, facillimo negotio subverti possunt. Idque ego ipse (quantulus homuncio!) in exercitationibus academicis non semel feci. Nunc vero ulterius progredi nolo: tantum ad rem nostram accommodate dicam, ex omnibus, quae sciri possunt, quaeque infinita plane sunt, admodum pauciflma nos certo scire, paullo plura probabiliter, reliqua omnia ignorare; vt nouissime ad evidentiam demonstrauit Antonius Genuensis, (2) qui magno Neapolitanorum honore & decore tam eximius est, & tam a Scholasticis exagitatus.

Ego autem in hac summa libertate, qua singulari Dei beneficio Gottingae fruor, longius procedo: atque aio, nullam penitus esse, nullam dico, quae in deliberationem, aut in disceptationem cadit, in vita aut in studiis litterariis propositionem, quae non eadem & incommoda irreparabilia & difficultates ineluctabiles patiatur. Quid ergo est? Cum res nostrae mortales ita constitutae sint, vt ineuitabili necessitate bona mixta malis per omnia inueniantur; subacto ingenio & bene subducta ratione viri hoc ferme modo & vitae & litterarum

§. V. (1). *Paradox. probem.*


(2) *Part. I., eiusque Appendix, Elementorum Metaphysicorum Mathematico more demonstratorum.*



rarum suarum viam ingredientur. Quando res aliqua ad deliberandum aut disceptandum datur, commoda eius & incommoda separatim anquirere & colligere debent: ac denique in partem illam, quae potior erit, inclinabunt. Id quod egomet quoque in praesenti concertatione breuiter faciam.

## VI.

Primum aio, si hereditates omnes ab intestato deferrentur, testamentaque prohiberentur omnia; maximam inde lequi iniustitiam, vt bona, vt industriae, vt fudores, patris, patrui, aut alterius cuiuscunque defuncti, aequali parte successoribus distribuantur, qui tamen non aequaliter de ipso vel de republica meriti sunt. Immo in uno eodemque successionis gradu esse possunt heredes, ac re vera cotidie plurimi sunt; quorum aliis optime meritus, aliis pessime omnino est. Quae ergo iustitia est haec, aequales bonorum partes sortiri homines adeo diuersos, immo oppositos? Aut quis sapientum vñquam coniicere poterit, defunctum eodem animi affectu oppositos illos considerasse? Quid? haec ipsa consolatio in extremis vitae diebus aberit, aut potius deerit, patri, patruo, vel alii cuicunque, vt praeponere aliis præcmio possit dilectissimum filium, nepotem, vel alium quemcunque, qui ceteris aliis erga moriturum pietate omni & officio præstít? Quid? filius, nepos, vel quicunque alias, qui nullis curis, nullis vigiliis, nullis laboribus, nullis incommodis pepercit, quo defuncto adesset; illum etiam dolorem animo capiet, vt dilectissimi mortui bona sibi detracta, & perditio cuiquam adolescentulo, aut etiam defuncti inimicis obti-



obtigisse videat? Ad extremum si nulla in hereditatis ratio meritorum habetur, iam perperam in omni republica boni afficiuntur præmiis, perperam mali puniuntur.

## VII.

Et quoniā rempublicam cogitatione attigi, agę, in ipsam ex familia transeamus. Profecto satis malimortales sumus, quamuis sapientissime tot repagula leges excogitauerint & opposuerint. Nunc tolle testamentorum spem aut minas; & filios videbis illudere parentibus, nepotes ausi, vxores maritis, alios aliis, morumque vbiique perditam licentiam. Sed quid ego de vnis testamentis loquor? Tolle, tolle, inquam, omnia alia præmia: tolle omnes alias poenas: (vna enim eademque horum omnium & testamentorum cauſa est;) deinde mihi dico, quid respublica, quid societas humana erit. O incautam & leuem, o perniciōsam aduersariorum opinionem! qui cum testamenti-factionem impugnarent, quid in eo fäcerent, non satis videbant.

## VIII.

Namque illud quare, præstantissimi viri, dixistis; *testamenti-factionem esse reipublicae valde noxiā, quod per eam non conseruetur aequalitas ciuium, nec impediatur noxia reipublicae distinctio hominum in diuites & pauperes, & binc propullans, aut saltē valde excitata, cupiditas luxuria, violentiae, fraudum, aemulationum* Numquam profecto hoc facerem, si rationem eam, quavos oppugnabo, meam esse arbitrarer. Sed fere virginis duo saecula præcesserunt, ex quo post Aristotelem



(1) communi omnium calculo in imaginariam *Platonis Rerum publicarum* prudentissime id dictum fuit. Nempe communionem illam suam bonorum, immutabilemque aequabilitatem, gignere perniciosa in animis ciuium negligentiam. Et vero, si antiquatis testamentis successiones erunt omnes ex necessitate ab intestato; quis vñquam hominum; quaeſo, vsque adeo erit amens, vt ardentissime augere velit, aut ſaltem curare, patrimonium ab herede inuiso dilapidandum? Si quid video, contraria omnia accidere debent.

Sed quid ego Aristotelis auctoritatem, aliorumque, praetendo? Pufendorfius, Pufendorfius ipse, qui summi vir ingenii & diligentiae, ab ineunte aetate vsque ad extreum longae vitae, in his Iuris Naturalis, sive contentiones vocabimus, sive controvierſias; qui igitur in his rebus fuerat versatus & attritus, princepsque contra testamenti-factionem signum belli extulit: Pufendorfius, inquam, ipse praeclarum istam bonorum communionem, immutabilemque aequabilitatem, licet nullum deinde vſum sapientissimae eius doctrinae faceret in quaestione testamenti; Pufendorfius ipse, parum ſibi constans, quam grauiſſime refutauit (2). Verum, quemadmodum magis fecum praefantissimi adversarii pugnant, quam cum testamenti-factione, alibi commodior erit dicendi locus (3).

## IX.

Hic potius illud adiiciamus, debere morienti hominoſto.

§. VIII. (1) Vid. *Polit. II*, 2.

(2) Vid. *de Iure Naturae & Gentium Lib. IV. cap. 4. §. 7.*

(3) Vid. *inf. §. XIX.*



nesto cui in qualibet bene constituta republica licitum eſſe, grati animi ſignum dare extraneo homini, qui fit de ipſo bene meritus. Namque, vt de acceptorum beneficiorum officiis nihil dicamus, (1) o quot virtutes adſpicit, o quanta commoda recipit, ex hoc testamentorum vſu humana societas!

## X.

At enim praemia dari poſſunt, & merita ſecerni, donationibus manu factis & ſine testamento. Verum res ſunt in societate humana, quae inter viuos dari non poſſunt: puta aedes, quas habitamus; ager vnicus, vnde viuimus. Quod ſi etiam beatiores multo fuerimus, non vtique conſultum erit, fi bona noſtra, forſan diuinus victuri, aliis voluerimus diſpertire. Poſtremo quis vſpiam ignorauit, faciliores eſſe homines rerum ſuarum datores tempore mortis, quam in vita?

## X I.

Subdantur nunc obſeruationes quaedam in eamdem rem Pufendorfii. Grauiſſimas fuisse ait rationes, ob quas ſuccesſio testamentaria multis magis placuit, quam illa, qua morti propinquai bona ſua ipſi inter heredes diſtribuebant. Scilicet improposito ſaepe fatu homines obruiuntur,

§. IX. (1) Nullum officium referenda gratia magis neceſſarium eſt. Quod ſi ea, quae utenda accepereis, maiore mensura, ſi modo poſſis, iubet reddere Hesiodus; quidnam beneficio pronocati facere debemus? an imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam accepereunt? Reliqua legas apud Ciceronem Lib. I. de Officiis cap. 15.



tur; aut a suis distractabuntur, ut supremam voluntatem exprimendi spatiū & occasio non sit. Conuenientius fuisset iudicatum, ut animo sereno atque integro per otium quis de rebus suis disponeret potius, quam cum extremis iam admotus trepidaret, aut vi morbi concussa mens langueret (1).

Atque hae Pufendorfianae sunt utilitates, quibus testamenta hoc usque defendebantur: minutulae illae quidem, & tenues; sed quas tamen laudatissimus Thomasius maiori aequitate perpendere debebat. Evidem valde miror, summum eius ingenium, vna cum aliis omnibus, utilitates a nobis adductas, quae tam validae sunt, ac tam in medio positae, non vidisse; sed nec minus miror locum illum Disputationis suae, quo Pufendorfianas obseruationes vellicauit. Primo enim tantum reposuit, utilitates illas esse negligendas, quoniam testamenti-factio est contra Ius Naturale & naturam dominii. (2): dein, nescio quare, addidit, dispositionem morituri animo integro & sereno etiam potuisse fieri, cum quis morti vicinus distribueret bona (3): quam ego responsionem ne Auctori quidem ipsi placuisse autumo: tantum abest, vt a nobis verbo fam flagitet refutacionem. Itaque pergit Pufendorfius.

*Quin & utilissimum illud erat, vt quis ad ultimum usque spiritum dominus rerum suarum maneret, ac nemini tale ius in illa concederet, quod non quouis tempore posset citra incommodum reuocare, mutantibus se eodem meritis, aut nostra inclinatione (4). Quid hic*


Tho-

§. XI. (1) Pufend. de I. N. & G. Lib. IV. cap. 10. §. 6.

(2) Thomas. de orig. success. testam. §. XLVII.

(3) Thomas. ibid. §. XLIX.

(4) Pufend. ibidem.



Thomasius? Respondet, vilitatem illam forte imaginariam esse; satis retinere ius in res suas ciuem, si non cogatur ad alienandum; testamenti-factionem esse contra Ius Naturale; inclinationes saepe variantes stultitiae potius, quam sapientis animi indicium, esse (5). Tum subdit: *Et quid si heres ille merita mutet post mortem tuam?* Quid si tanta eius merita non sint, vt putas; sed adulaciones, superstitiones persuasiones, heredipetationes (6)? Huic ego responsioni atque interrogatiunculis vt satisfaciam, liceat mihi quoque interrogare: Quid, si devius a recto heres iste ad frugem bonam (vt dicitur) se posthac receperit? Quid vero, si caelum quoque ruat? Quid, si neque hic etiam consistamus; & cum possibilia sint infinita, in infinitum argutemur? Ego vero tam longe progrederi nolo: tamen dicam, nouum quiddam & singulare, ac multo etiam excellentius, quam vulgo opinantur; ingenium Thomasii mihi videri: numquam enim ei absunt effugia, nihil est imperium, nihil difficile; atque interdumi ea excogitat, ea comminiscitur, ea acerrime propugnat, quae nullus vnuquam in disputando mortalium auderet mutire. Namque hoc quoque nostrum, quo de agimus, mirabile eius rationandi genus ne in comoedia quidem tolerabile visum fuit (7)! Ad alia igitur procedamus.

### X I I.

Frequentissime accidere solet, ut bene meritus absent. At praeclarissimi Iureconsulti, quibus auctoribus testimoni-

(5) Thomas. ibid. §. L.

(6) Thomas. ibid. §. LI.

(7) Vid. Terentius Heautontimor. Act. IV. sc. 2.

Itamenta improbantur, eo etiam arguento nituntur, aut potius sophismate, non posse in absentem aut ignorantem dominium transferri (1): hancque mirabilem comminiscuntur rationem, quia id absens aut ignorans acceptare non potest; (2) quali vero donationem aliquam absens aut ignorans acceptare summo iure non praesumatur! Quod, secum male cohaerens, docuit etiam Pufendorfius (3). Verum & hoc omittamus: illud saltem agnoscere doctissimi aduersarii debent, ex suis ipsorum principiis bene meritum absentem aut ignorantem, si testamentorum usus aboleatur, nullo consuequi modo a morientibus praemia posse. Quod est absurdum.

### X I I I.

At enim complures populi antiquiores testamenta non habuerunt (1). Plenissime concedo: sed quid inde? Complures etiam populi frumento olim caruerunt,

&amp;

§. XII. (1) Videndi inter alios multos Cl. Gottlieb Samuel Treuerus & Ill. Euerardus Otto ad Pufendorfum *de Officio Hominis & Ciuis Lib. I. cap. 12. §. 13.*

(2) Videndi inter alios ipsi primores, Pufendorfius *de I. N. & G. Lib. IV. cap. 10. §. 2. 6.* Thomasius *de Orig. Success. testam. §. III.*

(3) Pufendorfius *de I. N. & G. Lib. IV. cap. 4. §. 15.* scribit: *In infantibus circa acceptationem sufficere iudicatur consensus ipsorum praesumtus, quatenus nemo respnere censetur aliquid, quod sibi expedit.*

§. XIII. (1) Hoc arguento nititur non solum magnus Thomasius *I. c.*, verum Excellentissimus etiam Auctor *Praefationis ad Partem II. Corporis Iuris Fridericii* §. 24., Ill. Euerardus Otto, at quantus vir! aliique plures.


& glande (brutorum more) vescebantur. Ergone ideo idcirco frumentum non bonus cibus erit hominibus, aut melior glans? Docet praeterea Geographia, hodie quoque insulanos in America existare, qui usum ignis plane ignorant. Indene ergo conficiemus, inutilem hominibus usum ignis, aut potius non necessarium? Romanorum ego prudentiam semper laudabo: qui statim ac se re quadam carere animaduertebant, dabant operam, ut haberent in posterum; itaque in dies proficiebant, omniumque potentissimi euaserunt.

Germani quoque dicuntur a doctissimis aduersariis (2) caruisse testamento. Non est e re mea, ut hanc Germanorum de Germanis opinionem apud Germanos Apulus homo expendere velim: tantum monebo, inter ipsos quoque Germanos non esse primi subsellii viros, qui aut testamentum apud Germanos fuisse docceant, (3) aut saltem contrarium, quod volunt, demonstrari non posse (4). Sed esto: ignorarint antiqui Germani testamenta: iidem postea, moratores facti, eadem sapientia & laude, qua antiqui Romani, & optimae aliae instituta & testamenta receperunt. At vide, quanta ego aequitate cum aduersariis, quanta liberalitate agam. Volo etiam dare, (si ipsis placet,) hodier nos.

(2) Praeter Thomasium in d. *Dissnt.*, videndus inclitus Auctor d. *Praefat.* §. 24. litt. m., & primi etiam ordinis Iureconsulti, Euerardus Otto ad Pufend. *de O. H. & C. Lib. I. cap. 12. §. 13.* numer. 5. ac Io. Gottl. Heineccius *Elem. Iuris Nat. & Gentium Lib. I. cap. I. §. 289.*

(3) Ioan. Henr. Boccler, *ad. Grot. Lib. II. cap. 6.*

(4) Ioann. Franc. Buddeus in Exercitat. *De testamentis summi- rum imperantium Cap. I. §. 9.*




nos quoque Germanos testamentis carere: nihil tamen inde confici posse confirmabo. Nam nec si cordatissimi olim Romani, aequae ac Germani semper inuictissimi, ignorabant ephippia, illico & nos tanto commodo carere debeimus. Immo ignorabant omnes antiqui horologia nostra, ignorabant telescopia, ignorabant acum nauticam, ignorabant (vt cetera taceam) artem typographicam: an ideo & nos maximis hisce Dei beneficiis non vtemur? Repetite, quaeſo, memoria annales generis humani: & ad rem nostram agnoscetis, qualis & quam lentus in rerum vtilium cognitione fit factus progressus. Legite ſaltem aureum Lucretii locum (5), in quo experientia, ratiocinatione, vtilitate, commoditates vitae humanioris fero tandem inuentae sunt. Eadem ergo ratiocinatione atque vtilitate testamenti-factionem homines denique inuenerunt. Et mirum profecto videri potest, praefantiflmos aduersarios totiens in hac quaefione, ac tam sollemniter, a ratione recedere potuisse. Namque, vt alia omittamus, Philosophis non exemplis, ſed rationibus pugnandum erat.

Ceterum non satis caute dicuntur apud populos antiquiores ignorata testamenta: etenim apud Homērum, Euripidem ac Xenophonem donationes cauſa mortis exſtant, quarum eadem hic ratio haberi debet: profecto quoad viuentis diſpositionem de rebus suis post mortem. Negat Thomasius: at tenebris & argutiolis, vir cetera ſummus, in Diſputatione illa ſua inuoluitur crassiflmis. Quid, quod apud antiquiflmos Hebraeorum, qui plurimorum conſensu antiquiflmi populum omnium feruntur, ipfiflma exſtant testamenta?

En,

(5) Vid. Lucret. Lib. V. vs. 923. seqq.



En, antiquiflmuſ Iacobus de ſepultura ſua diſerte te-  
tur. (6) Reliqua videbis in Deuteronomio (7)  
& apud Sirachiden. (8) Nam licet hic quoque longe  
a nobis diſentiat Thomasius: tamen nec omnia Sacri  
Codicis loca, quae a nobis producuntur, obſeruarat; &  
captioſis sermonis ambiguitatibus, quoad reliqua, ma-  
ximis laborat. Totum igitur hunc locum relinquamus.


#### X I V.

At praeterea regerunt, ex testementis innumerabiliſ incommoda in commune atque in priuatos deriuari:  
in eaque argumentatione ante alios omnes multus est  
Excellentiflmuſ Auctor ille *Praefationis ad Partem II.  
Corporis Iuris Fridericiani*. Facillima est tamen hu-  
ius etiam rei & prompta responsio. Nulla enim lex  
eft, nulla consuetudo, nulla constitutio, nihilque vn-  
quam inter homines aut verſatur, aut etiam cogitatur,  
quod abuſionibus incommodisque plurimis maculari &  
foedari non poſſit: nec tamen interea Noſter, tutus ni-  
mum & abuſionum incommodorumque timidus, a co-  
gitando, ab agendo, a peragendo, ſe abſtinebit. Eo-  
dem plāne sophiſtate, Scientiam eſſe perniſioſam hu-  
mano generi, persuadere nuper nitebatur, eloquentiſſi-  
muſ ceteroqui, Rousseau. Et Iquoniam Noſter abuſionibus tam impenſe tribuit, libenter rogarē, vt de-  
clama-

(6) Genef. XLVIII, 23. XLIX.

(7) Deuteronom. XX, 16.

(8) Ecclesiastic. XXXIII, 24.




clamacionem istiusmodi instituat contra frugem; quippe ex indigestione plurimi oriuntur morbi ac mortes, & (Medicorum principe Hippocrate docente) panis indigestio pessima. Disputet contra ignem; quippe ex eo & vulcani, & fulmina, & incendia oriuntur. Quid plura? Omnia bona conceptissimis verbis execretur, quandoquidem omnium bonorum abusio est: ac praesertim, eheu, quot quantaque mala in omni temporum memoria ex religione exsisterunt!

Quae cum ita sint, iam nihil omnino existare in immensa hac rerum vniuersitate, nihil omnino dico, quod, si ad homines spectet, non idem & commoda habeat & incommoda: vt paucissimi illi, quos Deus amavit, quiue post plures annos acerrima conteatione in sapientiae clivum enixi sunt; res illas praeferre didicerint, quae, subductis rationibus, plus commodi contineant quam incommodi: ac talem in quaestione nostra esse testamenti-factionem, (modo prudenter, ac sapientibus legibus), quales sunt illae *Corporis Fridericiani*, adhibeat, iam demonstrauimus. Neque enim ego omnia aduersariorum negabo, vt litigatores a Iurisperitis nonnunquam facere docentur: prolixo & contrario fatebor, semper aliquid mali ex testamentis oritum; sed eamdem tamen dicam sortem esse rerum omnium bonarum. Quapropter aequo animo & res alias bonas, aequo animo & testamento retineamus.

## XV.

Hactenus de utilitate testamentorum: quae docuimus necessaria esse & in familia & in republica, vt cetera praemia, vt ceterae poenae. Diximus etiam, nihil huic



huic sententiae detractum iri, quantumuis populi antiquiores, vel nostri quoque, testamenta ignorarent: & incommodis, quae non magis in testamentis, quam in ceteris magistratum iudiciis, irreperere solent, eadem prudentia & sagacitate medendum. Ex quattuor ergo partibus, quas proposuimus, (§. II. supr.) reliqua est, vtrum testamenta habeant in Iure Naturali firmitatem: quae quidem pars non est huius nostrae quaestitionis. Nam si vel maxime sint Iuris Civilis testamenta, sunt tamen prae utilitate, vt litterarum obligationes & id genus alia, retinenda.

Verum quia ex iussu atque ad praecriptum scribo, nec modica disputationis meae facta est expectatio; postquam haec tenus in proposita materia non timidissime versatus sum, ampliorem nunc campum aperiam oppugnandi. Aio enim contra regnantem opinionem, testamenti-factionem esse Iuris Naturalis. Et quoniam nec possum, nec volo, totam hic exhaustire materiam; irritabo quidem dumtaxat aduersariorum sententiam, at simul ex vniuersa concertatione, quae tot turbas dedit, id modo feligam, quod ad ipsam spectet utilitatem, quodque possit ad locum praesentis sermonis reuocari.

## X V I.

Obuerunt ergo: Vt cum se utilitas habeat testamentorum, eorum tamen firmitas in Iure Naturali nulla est. Quae quidem opinio & pluribus speciosissimis rationum momentis fulta est, & aiunt praecipue Pufendorfius, Merilius, Thomasius, vterque Cocceius, aliquique multi, dominium ex testamento ad heredem pervenire non posse nec viuo testatore, nec mortuo. Viuo



testatore non posse; quia nec viuentis est hereditas, nec testator se superstite ius vult conferre: mortuo testatore non posse; quia testator nec vult transferre, nec potest, extincto quippe eius dominio cum vita.

### X V I I.

Verum ex testamento dominium ad heredem pervenire posse viuente testatore, nunc asseueranter aio, alibi demonstrabo. (1) Atque e contrario etiam, dominium cum vita non extingui, sed mortuo testatore ad heredem transire posse, ex Iure Naturali egregie sane praeter ceteros probauit Iureconsultus Cl., Samuel Koenigius: (2) cuius principem ratiocinationem ut modo meo exponam, veniam peto. Est autem huiusmodi.

Iuris Naturalis dogmata vel sunt primaria, quae mirum quam paucissima sunt; vel secundaria & per illustrationem deducta, cuius quoque generis sunt testamentum, & ipsum, unde testamentum descendit, dominium. (3) Ut ergo testamenti in Iure Naturali firmatatem cognoscamus, ratiocinari oportet, & quidem hoc modo.

### Ius

§. XVI. (1) Vid. infr. §. XIX.

(2) Vid. *Schediasma de origine testamenti-factionis*, existans in *Nouis Actis Eruditorum Lipsiensibus*, Ann. MDCCXLVII. Mens. Februar.

(3) Vid. Pufend. de I. N. & G. Lib. IV. cap. 4. §. 14. & V. Cl. Albertus Dietericus Treckellius in *traductatione de origine atque progressu testamenti-factionis praecepsim apud Romanos*, Cap. I. §. 2. cum not.




Ius Naturale parit obligationem, cui satisfacere omnes tenentur. Obligatio autem primo potest erga coniunctos aequalis gradus esse inaequalis, secundum ea, qua dicta sunt in §. VI. Deinde ex iisdem colligo, post oblationem maiorem esse erga extraneos quam erga sanguine coniunctos. Sed etiam si aequales sint obligationes erga omnes coniunctos, neque extraneus ullus officiis eos superauerit, potest tamen & obligatio aliqua ex benefactis esse erga extraneum. Quum ergo Ius Naturale morientem & absentem ad satisfaciendum hisce grati animi officiis obliget, Ius idem Naturale, quoniam nulla alia satisfaciendi via inueniebatur, tot tamque dissitas nationes testamenta docuit. Adime facultatem testandi; obligationibus Iuris Naturalis satisfacere non poteris. Natura ergo tribuit hominibus facultatem de bonis suis disponendi, & quidem conuenienter officiis. Atque adeo ex Iuris Naturalis visceribus est testamentum. Immo successio ab intestato ipsa nihil aliud est, nisi *successio ex testamento praesumto: quae sola obseruatio*, inquit optime Koenigius, *omnes nebulae mire disiicit*.

### X V I I I.

At quoniam pacto dominium a mortuo in heredem transferri potest? Dixi, me alibi probatarum, dominium per testamentum transferri a viuo. Nunc probabo, posse quoque transferri a mortuo: idque ex acutissimo Koenigio, eiusque verbis, explicabo. Sunt autem haec:

*Non audiendi sunt Iurisconsulti, male applicatis Iuris regulis testamenta oppugnantes. Cur ad validitatem huius negotii formam transferendi inter viuos requirere? Cur traditionem flagitare, cum ipsa traditio non ius det,*



*sed significet? (1) Quid enim tam apertum, quam in quo-  
uis casu officiis eo modo parendum esse, quo per rerum na-  
turam fieri potest? Atqui facultates testatoris, illo super-  
stite, ad coniunctos officio transire non possunt; debent ta-  
men transire, officiis flagitantibus. Quid itaque conue-  
nientius, quam ut mortuo testatore ad illos perueniant,  
prout ipse decreuerit? Ex negotio peragendo modus pera-  
gendi, & ex indole officii modus persoluendi officium, de-  
terminari debet: qui vituperari non potest, si per eum si-  
ne ullius iniuria iustus finis obtineatur.*

### XIX.

Supersunt innumera aduersae sententiae refutanda aut retorquenda etiam argumenta, vel potius integra *de testamenti-factionis in Iure Naturali firmitate* disputatio, quam iustis voluminibus proxime contra viros summos, Samuelem Pufendorfium & Christianum Thomasium, emittemus: hi namque oppositae doctrinae principes & habentur & sunt. Et quoniam Excellentissimus ille Auctor *Praefationis* non sine causa prouocat ad immortale opus Excellentissimi Samuelis de Cocceii, *Introductionem ad Grotium Illustratum*; (1) heroicam inscriptionem illam debui pariter considerare. Hinc tres iam

§. XVIII. (1) Traditio est tantummodo unum ex signis domi-  
ni, quod iam fuerat animo collatum. Absurdum ergo  
est, tam anxie signa quaerere; animum vero, qui actio-  
nis iurisque fons est, non attendere. Vid. omnino Pu-  
fendorfius, eiusque interpretes & commentatores, *de I.  
N. & G. Lib. IV. cap. 9.*

§. XIX. (1) Vid. d. *Praefationem ad Part. II. Corporis Iuris  
Fridericiani* §. 16.



iam Dissertationes ad umbilicum perductae sunt, ac pro-  
pe diem excudentur.

### X X.

Interim, quisquis haec nostra legis, sic habeto:  
Testamenta, si quid aliud, Iuris sunt Naturalis; ea-  
demque in bene constituta republica utilissima, modo-  
iis, vel similibus, finibus cohibeantur, quibus illa le-  
ges Fridericiani Corporis prudentissime cohibuerunt.  
Cuius quidem Corporis pars magna fuit idem ille *Prae-  
fationis* Excellentissimus Auctor: qui etiam, inuitus li-  
cet, ab hac mea sententia non longe discedit. (1)

## CAP VT IV.

*Quodnam apud Romanos fundamentum ba-  
buerint hereditates ab intestato.*

### I.

Sequitur, vt, quodnam fundamentum habuerint:  
hereditates ab intestato apud Romanos, videamus: id-  
que & accuratus tractationis ordo exigit, &, si omis-  
simus, nec legum deinceps Romanarum censura, neque  
vitus earum ullus aut praxis, (quae quidem prudens sit,  
ac ratione constet,), institui poterit.

### II.

§. XX. (1) Vidi *Praefationis* eiusdem §. 26.



## II.

Multi, vel innumerabiles potius, quaestionem hanc nostram agitarunt; sed principes sunt Amplissimi Duumviri, Cornelius van Bynkershoek & Praefidens de Montesquieu: qui quidem *de Montesquieu* quandōquidem & alias, & hic quoque, vnuis inter omnes eminet; ab eo, quae necessaria sunt, vtenda accipiemus.

Ingeniosissime igitur & pulcherrime coniicit, ac late docet, hereditatum, praecipue ab intestato, rationem apud Romanos fuisse primam illam agrorum intercuius a Romulo factam diuisionem, bonorumque adeo in familiis conseruationem. Alium fuisse procedente tempore hereditatum modum, curam feminei luxus evitandi, atque inde natam legem Voconiam, cui postea derogatum ob ciuium defectum Lege Papia Poppea. Praetores etiam variis coloribus, ac tandem Imperatores, omnia turbasse; donec Iustinianus ôta jusqu' au moindre vestige du Droit ancien sur les successions: il établit trois ordres d'héritiers, le Descendans, les Ascendans, les Collatéraux, sans aucune distinction entre les mâles & les femelles, entre les parens par femmes & les parens par mâles; & abrogea toutes celles qui restoient à cet égard; il crut suivre la Nature même en s'ecrant de ce qu'il appella les ambaras de l'ancienne Iurisprudence. (1)

## III.

Consultius autem erit, si lectores nostros ad fontem ipsum dimittamus, quo dulcius inde bibant & plenius

S. II. (1) Vid. *l'Esprit des Loix*. Livr. XXVII. chap. unq.



nius acutissimas in hac re sapientissimasque obseruationes, quas primus omnium in medium protulit singulare illud Gallorum decus, inclytus Praeses de Montesquieu; quo scriptore superbit, aeternumque superbiet saeculum nostrum. Hicque potius aliquid ad cautam prouidamque eius lectionem moneamus.

Nam etsi scribere constituerit de ratione aut anima legum, (*de l'Esprit des Loix*,) non solum tamen multa necessaria omittit, ordinemque sequitur perturbatiorem, atque in aliis praeterea circa ratiocinationem peccat; verum ad ea etiam digreditur, iisque occupatur, quae nihil attinebant. Exempli caussa, opere in tanto, quo de latissima grauissimaque generis humani gubernatione disputans, non librorum modo aut capitum, sed etiam periodorum ipsarum verborumque, summe avarus esse debebat; Noster totus est in conscribendo Libro XXVIII; qui sine dubio est librorum eius operis spississimus, *de origine ac fatis legum ciuilium apud Francos*; Libro XXX. *de theoria legum feudalium apud Francos*, quatenus ad firmandam eorum monarchiam pertinebant; & Libro XXXI. *de theoria legum feudalium apud Francos*, quatenus ad eorum monarchiae vicissitudines pertinebant: qui reliqui libri duo non cedunt aliis spissitudine. At enim vero nihil in eis est, quod ad vniuersam legum pro genere humano rationem spectet: in eoque multis parafangis totos illos libros tres antecedit vel diuidit Capitis 16. Christiani Wolffii in *Institutionibus Iuris Naturae & Gentium Part. II.* Saltem particularia illa ad nostra tempora pertinuerint! At sublimissimum Galli ingenium, quum heroicum omnino esset, tragoe-



dias agere, mirabilioresque cogitationes ostentare ex materiae antiquitate ac insolentia voluit.

Atque ex hoc eodem genere est Liber XXVII., de quo in hoc Capite loquimur, *de origine ac fatis legum de successionibus apud Romanos*: dum neque ad Auctoris scopum facit, & Wolffius idem in solo Cap. 5. eiusdem opusculi *Institutionum Part. III. Sect. I.* tam longe ab inclyto Gallo in tractando generatim iure successorio procedit, vt illum plane a conspectu amittat.

#### I V.

Ego vero insigni Auctori libentissime quoscumque errores, quos humana parum cauit natura, in opere tam eximio ignosco. Quin etiam gratias ago, quod in hac nostra successionum materia ab instituto suo aberrauerit: nisi a scopo aberasset, valde parum in hac nostra nunc haberemus; ipse enim primus omnium acute, & late, & solide fundamenta detexit hereditatum, quae apud Romanos ab intestato deferebantur.

#### V.

Quamuis autem haec ita sint, non ideo tamen id intellectum velim, nihil Nostrum in praesenti tractatione peccasse: namque mihi suboriantur adhuc scrupuli duo, qui ut eximantur, omnino vereor. Primus talis est.

Opinatur Praeses *de Montesquieu*, testamentorum apud Romanos initium fuisse post Seruui Tullii tempora, atque a legibus denique XII. Tabb. orta innuit: quod fir-



firmissime affuerat Excellentissimus Auctor *Praefationis ad Part. II. Corporis Juris Fridericiani* §. 24. Nos & contrario testamenta nouimus antiquiora. Vir maximus, Christianus Thomasius, (vt alios omittam,) testamentorum in procinctu vsum fuisse docet tempore Curiolani, qui ante leges decemvires vixit; idemque de testamentorum in calatis comitiis vsu feliciter coniecat. (1). Errat ergo Perillustris Praesidens *de Montesquieu*; errat quoque Excellentissimus Auctor *Praefationis*.

#### V I.

Verum antequam ad alterum Galli nostri lapsum deueniamus, animaduertendum est, Cl. Ioannem Gottliebium Heineccium aliquid certius, quam Thomasius, circa testamenta calatis comitiis facta adducere voluisse. Sunt autem haec verba eius: *Testamenti in pace sub regibus facti meminisse videtur Plutarchus in Romulo, ubi Tarrutius, Anci Marci temporibus, Laurentiam dicitur τελευτας απολυφαι κληρονομοι: quae phrasis alias hereditatem testamento delatam denotat.* (1)

At primo in Plutarchi Romulo verbum nullum de rege Anco Marcio inuenitur: dein non appareat, vnde didicerit Noster, Tarrutium suum, qui Laurentiam heredem

§. V. (1) Thomasius in Disputatione, cui titulus *Prima initia successionis testamentariae apud Romanos* §. VII. Vide & §. VIII. Idem cogitauerat vir summus in Disputatione *de origine successionis testamentariae* §. LXI. not. (m).

§. VI. (1) Heineccius *Antiquitat. Roman.* Lib. II. tit. 10. §. 1.



redem reliquit, vixisse siue sub Anco Marcio, siue sub alio quocumque regum. Sane laudatus ab eo Plutarchus hoc ibi non dicit. Immo cum meminisse, eamdem Laurentiae historiam occurtere apud Graecum eumdem in *Quæstion. Rom. XXXV.*; relegi attente locum, nec tamen quidquam inde colligere, vel suspicari saltem potui, quare feminam istam sub aliquo Romanorum regum, aut etiam ante XII. Tabulas, vixisse statuamus. Errauitne igitur Heineccius? Vir immortalium in rem litterariam meritorum cum non semper ex fontibus bibisset, auctores suos saepenumero, in *Antiquitatibus præsertim Romanis*, infeliciter laudat. Consulto *præsertim* dico; praeterquam enim, quod in *Historia Iuris* egregius Joannes Daniel Ritterus acerrimis & dignis *Observationibus* Nostrum exceptit; praeterita est inter alias foeda Cebetis Thebani allegatio, quae in allegantem ipsum obuersti & potest & debet. (2) Quod vero ad *Antiquatum Romanarum syntagma* attinet, retulit nuper mihi Perillustris Dominus Christianus Henricus Barro de Palm, incredibilis probitatis ac senilis prudentiae adolescens, virum in his litteris summum, excellentissimum Ioannem Matthiam Gesnerum, sexcentas falsas in Heineccio citationes comperisse: ac lectissimi iuuenies duo Hamburgenses certiores me fecerunt de innumeris graibusque in B. Heineccii opus illud animaduer-sionibus viri eruditissimi Alberti Dieterici Trekellii, quae vtinam breui cum publico communicentur! Interim clara voce moneo lectorem meum, vt, quando Heineccii saltem *Antiquitates Romanas* in manus sumet, illum Epicharmi cantilenam iusufurrare me sibi putet:

Νὰ φέ μέναστεν, αὐθέα ταῦτα τῶν Φρεγῶν.

Ce-

(2) Vid. Heineccii *Historia Iuris* Lib. I. cap. 6. §. 426.



Ceterum de testamentis in pace quoque factis & sub Anco Marcio, de quo Macrobius, (3) & temporibus etiam antiquioribus, videndum est eruditissimus modo laudatus Trekellius in *tractatione de origine atque progressu testamenti-factionis, præsertim apud Romanos Cap. II.* Ex quibus omnibus colligi tandem potest, quoad testamentorum quoque tempus in calatis comitiis factorum lapsum esse Praefidentem de Montesquieu. Quod erat demonstrandum.


## V I L

Nunc in eo etiam dormitare mihi videtur Praedi-dens noster, quod, licet consueta modestia, aut potius dexteritate, qua ad inuidiam vsque praeditus est; confilium tamen Iustiniani improbabat, dum hic veteris Iurisprudentiae omnia mutauit in hereditatibus intestatorum, eaque ambages atque incommoda appellare non dubitauit.

Profecto Imperator, vel potius Tribonianus, in omni Iurisprudentia plurima praeter necessitatem mutauit, vel alio foedauit modo, & in hereditatibus præterea intestatorum grauissime fallebatur, cum validas veteris prudentiae rationes non videret, quas rationes deinde singulari sagacitate exposuit nobis inclytus Gallus.

At fallitur vna inclytus Gallus ipse, cui non probatur Iustinianus, qui talem tantamque fecisset hac nostra in re mutationem. Immo vero Noster secum ipse apertissime pugnat. Meminisse poterat suorum ipsius Librum

(3) Macrobius Lib. I. *Saturnaliorum* cap. 10.



rum II, III, IV, V, VI, VII, VIII. de l' *Esprit des Loix*; ubi optimae leges audiunt, quae reipublicae formae consentaneae sunt. Si ergo forma reipublicae Romanae veteris mixta erat, Iustinianeorum vero temporum iam pridem monarchica; constabat Imperatori sua ratio veteres leges antiquandi, nouasque constituendi: quibus denique factum est, ut hodie in Jure Romano totum hereditatum ab intestato fundamentum sit praesumtus amor defuncti. Sed claudamus iam riuulos: satis haecen prata biberunt. Haec enim, ut & properans, & ad specimen dumtaxat edendum, percurro, ut tandem aliquando ad magni aliquid veniamus.

*Finis Dissertationis I.*

